



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Avriensi Episcopo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20020

habere nequiverint, per alium secundum formam Ecclesie satisfactione premissa oporteat ligatum absolvi. Ad hæc, omnes libertates & immunitates, dignitates quoque, ac rationabiles & approbatas consuetudines Ecclesie tue, nec non & exemptiones secularium exactionum à Regibus seu Principibus aut aliis fidelibus rationabiliter tibi & Ecclesie tue ac Clericis ejus indultas auctoritate apostolica confirmamus & presentis scripti privilegio communimus. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat Atheniensem Ecclesiam temerè perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur eorum pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura. Salvis semper in omnibus apostolicæ sedis auctoritate, reverentia, & mandato. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularive persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temerè venire tentaverit, secundò tertiove commonita nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui careat dignitate, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à sacratissimo corpore ac sanguine Dei & Domini redemptoris nostri Iesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Iesu Christi, quatinus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen. Datum Laterani per manuum Iohannis sanctæ Mariæ in Cosmidin Diaconi Cardinalis S. R. E. Cancellarij Idibus Februarij, Indictione xi. incarnationis dominicæ anno MCCVIIII. pontificatus verò Domini Innocentij Papæ III. anno undecimo.

PARISIENSIS EPISCOPO.

Epist. 217.
De Clerico
falsario.
Cap. Novimus.
De verbor. signi-
ficat.
* Cap. Ad falsarios. De falsariis.

Novimus expedire ut verbum illud quod & in antiquis canonibus & in nostro quoque * decreto contra falsarios edito continetur, ut videlicet Clericus per judicem ecclesiasticum degradatus seculari tradatur curiæ puniendus, apertius exponamus; cum & quidam predecessorum nostrorum super hoc consulti diversa responderint, & quorundam sit opinio à pluribus approbata, ut Clericus qui propter hoc vel aliud grave flagitium non solum dampnabile sed damnosum fue-

rit degradatus, tamquam exutus privilegio clericali, seculari, foro per consequentiam applicetur, cum ab ecclesiastico fuerit foro projectus, cujus utique degradatio celebranda est seculari potestate presente, ac prænuntiandum est ei, cum fuerit celebranda, ut in suum forum accipiat degradatum, & sic intelligitur tradi Curie seculari, pro quo tamen Ecclesia debet efficaciter intercedere ut citra mortis periculum citra eum sententiam moderetur. Pro illo verò falsario scelerato, quem ad mandatum nostrum capi fecimus, hoc tibi duximus consulendum; ut in perpetuum carcerem ad agendam poenitentiam ipsum includas, pane doloris & aqua angustie sustentandum, ut commissa desinat & stenda ulterius non committat. Datum Laterani xi. Kal. Martij, pontificatus nostri anno undecimo.

AVRIENSI EPISCOPO.

Postulasti per sedem apostolicam edoceri ut cum rectores parrochialium Ecclesiarum quandoque quosdam præsentent ad suarum Ecclesiarum titulos ordinandos, utrum electio talium ad ipsos rectores pertineat vel etiam ad patronos, & si in iis patronorum non est requirendus assensus, utrum jus illis salvum remaneat eligendi, ut cum ipsas Ecclesias vacare contigerit, intulati hujusmodi non sint aliis præferendi. Ad quod fraternitati tue breviter respondemus, quod per intultationem hujusmodi nullum patronis præjudicium generatur quin possint alios ad ipsas Ecclesias, cum vacaverint, præsentare, nisi de patronorum processerit assensu. Datum Laterani 11. Idus Februarij, pontificatus nostri anno undecimo.

VNIVERSIS EPISCOPIS
per Angliam constitutis.

Cvm Cisterciensis ordinis monasteria per Angliam constituta interdictum ecclesiasticum pro negotio Cantuariensis Ecclesie auctoritate nostra generaliter promulgatum incepissent arcte servare, postmodum quædam eorum, sicut accepimus, appellationis prætextu quam occasione privilegiorum suorum interposuisse dicuntur, ipsum non solum quoad eorundem privilegiorum indulta temerè violarunt, verum etiam in campanis sonantibus ac boantibus cantilenis, apertis januis, & ad communionem aliis invitatis, solemnitus præsumperunt solito celebrare. Licet igitur tantam præsumptionis auda-

Epist. 218.
De iure patro-
natus.
Cap. Postulasti.
De iure patron.

Epist. 219.
Commissio ad
venis eos qui
non servavit
interdictum.
Vide Math.
Paris ad an.
1109. & 1110.
epist. 101. 110.